

tio D. Thomæ, *quia res quæ non habet esse a se, non potest a se durare; ergo neque potest a se agere.* Dicitur enim res non durare a se, quia indiget actuali influxu Dei ut agat. Est tamen differentia, quia res durat per influxum solius Dei, quia ipsa non potest concurrere active ad suam conservationem; agit autem non per influxum solius Dei, quia necesse est ut ipsa etiam concurrat, hoc enim essentialiter includitur in conceptu actionis, seu agendi, et hoc modo accipit causa secunda a prima ipsum actualiter agere, quia in illud ipsum immediate influit Deus, non quia in ipsam potentiam agentem quippiam aliud ante actionem influat, quia etiam si illud influeret, per talem influxum non immediate daret hoc quod est agere, sed daret quoddam principium agendi, vel complementum ejus, quod satis non est ad vim rationis et intentionem ejus, quæ est ostendere necessitatem immediati influxus divini in ipsam actionem. Nam ut dicatur Deus immediate dare ipsum agere, præter totam virtutem proximam agendi, vel etiam ut dicatur creatura non agere a se, non habens a se eandem virtutem agendi, propter hæc, inquam, non est necessarius concursus prævius, quia ratione permanentis et innatæ virtutis, et concursus simultanei, hæc omnia vere dicuntur de causis naturalibus; non ergo procedit ratio in illo sensu, et ita ad vim illius prævius concursus non solum non est necessarius, sed etiam illi posset obstare, nam inde posset inferri concursum simultaneum non esse necessarium, vel saltem illa ratione non probari.

15. *Prima confirmatio adversariorum ex productionibus divinis rejicitur.*— Ad confirmationes autem aliorum, imprimis ad exemplum ex divinis personis sumptum, respondemus vel non esse ad rem, vel potius probare oppositum, nam Filius non dicitur producere Spiritum Sanctum a Patre, et non a se, quia habeat a Patre alium influxum præter communicationem essentiæ et virtutis spirandi; sic ergo si servanda vel imitanda est proportio, creatura sufficienter dicetur non agere a se, quia non habet a se virtutem agendi, sed a Deo; et ita inde non colligetur necessitas actualis influxus Dei: ut ergo servetur proportio, dicendum erit quod sicut Filius, quia non spirat nisi per virtutem acceptam a Patre, habet etiam quod non possit solus spirare sine Patre immediate spirante, ita creatura, quia habet virtutem datam et conservatam a Deo, non potest agere sine Deo simul agente; et ita con-

cluditur concursus simultaneus, non prævius distinctus ab effectione et conservatione virtutis agendi.

16. *Secunda confirmatio, sequi aliquid esse in creatura quod non sit a solo Deo, rejicitur.*— Ad aliam vero confirmationem, negamus ex ablatione prævii concursus sequi, aliquid esse in creatura, quod non sit a Deo solo: nam proxima virtus agendi, ut calor, non est a solo Deo, sed vel est etiam ab extrinseca causa proxima, vel ab intrinseca forma nascitur, Deo simul influente, ut in igne; et actio causæ secundæ etiam non est a solo Deo, ut constat, quamvis sit immediate ab illo. Determinari autem ad agendum (a quo argumentum sumitur) non est aliquid distinctum ab his, nam determinari sumi potest, vel in actu primo, vel in actu secundo; et priori modo in causis naturalibus de quibus agimus, determinari nihil est distinctum ab ipsa virtute naturali, quæ per seipsam est destinata ad unum, et ad modum agendi ex necessitate naturæ. Posteriori autem modo determinari ad agendum non est nisi agere, et ita non est distinctum ab ipsa actione, neque in his agentibus aliquid medium inter hæc cogitari potest.

17. *Tertia confirmatio; actionem causæ secundæ non esse effectum præmotionis Dei explicatur.*— Denique, ad ultimam confirmationem, jam dictum est actionem causæ secundæ non esse effectum præmotionis Dei, sed increatæ virtutis et voluntatis. Nec in his causis naturalibus Deus aliter facit causam secundam operari, nisi dando illi proximam virtutem agendi cum omnibus ex parte illius requisitis, et cum illa simul concurrente, quia sicut facere non includit nisi virtutem agendi et actionem, ita Deum facere ut sol illuminet, verbi gratia, nec est, nec esse potest aliud quam facere solem cum virtute illuminandi, et constituere illum in tali loco, etc., et cum illo ad illuminandum concurrere, et idem est in qualibet alia causa secunda naturali, ut a quolibet facile considerari potest.

18. *Quarta ratio adversariorum ex essentiali subordinatione causæ secundæ ad primam confutatur, et prima instantia de Angelo ad inferiores causas comparato.*— Ad quartum negatur consequentia; nam essentialis subordinatione causæ secundæ ad primam non consistit in necessitate motionis præviæ, sed in necessitate motionis cooperativæ, seu concursus simultanei, ut satis declaratum est. Ad primam autem probationem, responsum est etiam Deum non esse causam primam, quia prius

moveat causam secundam jam sufficienter constitutam in actu primo ad operandum, sed quia ab illo pendet in agendo omnis alia causa. Unde instantia, seu exemplum de Angelo, vel quacumque alia causa perfectiori comparata ad minus perfectam, nihil ad rem facit, quia non quilibet excessus perfectionis constituit rationem causæ primæ, sed ille qui est in virtute agendi a se, et in ratione universalissimæ causæ, a qua omnis alia pendet in agendo.

19. *Rejicitur secunda probatio, non dari ordinem per se inter causam primam et secundam.*— Ad secundam probationem negatur sequela, nimirum, non dari ordinem per se inter causam primam et secundam; nam hic ordo per se non consistit in indigentia motionis præviæ, sed in hoc quod omnis causa secunda per se et ex natura sua postulat auxilium causæ primæ influentis secum ad dandum esse suo effectui, quia non sicut ipsa habet esse per se; qui optime fundatur in natura causæ habentis esse participatum ab alia quæ est suum esse per essentiam, alius vero ordo prioris et posterioris concursus nullum habet in rebus fundamentum. Unde exemplum de duobus trahentibus lapidem hic non bene accommodatur; nam licet in simultate concurrenti sit simile, non ordine, neque in dependentia, nam unus trahens lapidem per se non pendet ab alio, licet fortasse ob imperfectiorem virtutem in suo genere indigeat juvenamine alterius ejusdem ordinis: omnis autem causa secunda, quantumvis in suo ordine perfecta et sufficiens sit, essentialiter subordinatur primæ, a qua pendet, ut declaratum est.

20. *Tertia probatio omnem causam secundam agere motam rejicitur.*— Ad tertiam probationem, in qua sumitur quod omnis causa secunda movet mota, si intelligatur de motu proprio recepto in ipsa, respondemus peti principium, nam hæc est conclusio probanda. Negatur ergo illa propositio, intellecta de motu proprio, et in causa secunda vere ac realiter recepto; nulla enim ratio sufficiens redditur ob quam talis motus sit per se et quasi essentialiter necessarius ad actionem causæ secundæ, cum sine illo possit causa secunda habere totam virtutem ex parte sua necessariam ad effectum, et Deus non indigeat illo motu ad præstandam totam efficientiam ex parte ipsius necessariam. Multoque minus reddi potest ratio ob quam ille motus requiratur ut putanda conditio sine qua non, et præsertim de potentia etiam absoluta necessaria, ut in capite 28 late discursum est. In quo autem sensu, et de

quibus moventibus, et ex quo fundamento Aristoteles illam propositionem protulerit, in præcedenti capite declaravi, ubi etiam dixi, per se et in omnibus causis secundis solum de motu cooperativo esse in universum veram; de prævio autem solum quando causa secunda habet imperfectam virtutem, vel indiget aut applicatione ad passum, aut conjunctione ad objectum, quam antea non habebat.

21. *Quarta probatio ex causis universalibus rejicitur.*— Unde facile respondetur ad quartam probationem, quæ a causis universalibus sumebatur; est enim in illis longe diversa ratio: nam sol, verbi gratia, quatenus influit ut causa universalis (idemque est de cæteris), non concurrat cum causis secundis immediate immeditatione suppositi, et ideo necesse est ut per media interjacentia diffundat virtutem suam usque ad causam secundam maxime distinctam a se, et quæ sit proxima respectu effectus; influxus ergo illius virtutis et prævius est ad ultimum effectum, et necessario debet esse in causa proxima illius. Deinde si tales causæ universales sint corporeæ, ut cœli, non consistit influxus earum, nisi in alteratione aliqua, seu productione qualitatis, quæ sit virtus activa coadjuvans causam secundam proximam, ut est, verbi gratia, calor respectu solis, humiditas respectu lunæ, vel fortasse aliæ qualitates nobis occultæ respectu singulorum astrorum; si vero universales causæ immateriales sint, ut Angeli, immediate tantum influunt motum localem, ut suppono. Unde necessitas harum causarum solum est, vel ut addant aliquam virtutem causæ secundæ, quia sola virtus illius est imperfecta, vel ut illam applicent ad passum, a quo antea distabat. Ac denique præter hanc influentiam, non habent hæc causæ create immediatum influxum in actionem causæ secundæ, neque in hoc dependent essentialiter particulares causæ ab universalibus creatis. At vero causa prima agit in omnibus immeditatione suppositi, et per seipsam et suam intrinsecam virtutem immediate influit in omnem actionem causæ secundæ, et hæc quantumvis sit completa in virtute agendi, et applicatam habeat materiam, essentialiter postulat ad agendum immediatam cooperationem Dei, et si quid prævium ad complementum virtutis et applicationis datur causæ particulari ab universalibus creatis, totum id datur a causa prima cooperante cum secundis, etiam universalibus. Et ideo per se non est necessaria alia prævia motio primæ causæ recepta in secunda, sed solum ex acci-

dente, quando virtus causæ secundæ fuerit in suo genere insufficientis, et per universales causas creatas defectus ille suppleri non possit, de quo modo influendi Dei, tractando de auxilio sufficienti et efficaci gratiæ, latius dicemus.

22. *Quinta ratio, de modo quo Deus vult effectus causarum.* — In quinta ratione, ex voluntate divina sumpta, attingitur materia de prædestinationibus divinis, et de modo quo Deus vult vel providet effectus causarum secundarum et actiones earum. Sed hæc habet peculiarem difficultatem in actionibus liberis, tam bonis, præsertim supernaturalibus, quam in malis, seu peccaminosis, in naturalibus autem causis fere nullam. Et ideo his omissis quæ ad actus liberos pertinent, de quibus sigillatim dicturi sumus, de naturalibus causis admittimus Deum concurrere cum illis per voluntatem efficacem, qua vult et cum eis concurrere, et eas efficere suos effectus; nam licet hæc duo ex propriis rationibus formalibus habeant distinctionem aliquam, ut in actibus liberis dicemus, in presenti non multum refert illius distinctionis consideratio.

23. *Ex illa tamen nihil efficeretur contra assertionem nostram.* — Hinc vero non sequitur quod Deus per illam voluntatem aliquid prævium faciat in causa secunda, quia licet Dei voluntas efficacissima sit, non tamen facit nisi quod vult, et prout vult illud facere; per illam autem voluntatem non vult facere aliquid prævium; neque contrarium recte probatur ex eo quod Deus velit causam secundam agere: nam causam secundam agere non est recipere aliquid prævium, sed est elicere ipsam actionem. Unde potius contrarium inferendum esset ex illo antecedente: nam si Deus hoc solum vult, scilicet causam secundam agere, hoc facit, et non aliud quod ad executionem illius voluntatis non est necessarium, quia in objecto illius voluntatis solum includitur, quod causa secunda faciat, et ut Deus ipse simul efficiat ipsum effectum et actionem causæ secundæ, et utrumque efficaciter et infallibiliter facit. Quia enim non vult solus facere, sed cum causa secunda, ideo necessarium non est ut ipse Deus solus aliquid faciat. Neque etiam est necessarium ut prius operetur prioritate causalitatis, quia nec hoc etiam vult, sed operari tantum cooperando. Unde licet illa voluntas Dei sit prior duratione et æternitate, nihilominus ordine causalitatis est concomitans, quia solum vult cum causa secunda concurrere, et non aliter vult effectum ejus, ut satis declaratum est.

24. *Solvitur instantia.* — Solum potest instari, quia licet causa naturalis sit determinata ex se ad agendum, nihilominus potest ex concursu alterius causæ, vel materialis, vel efficientis, impediri, et ideo sæpe effectus ejus est contingens; posita autem efficaci voluntate, qua Deus vult talem causam agere, major est in illa determinatio, majorque necessitas agendi; ergo aliquid prævium factum est in causa secunda per talem Dei voluntatem. Respondetur negando consequentiam, quia quando Deus efficaci voluntate statuit causam secundam aliquid naturaliter facere, eo ipso sua providentia cæteras causas disponit, ut aliam non impediant, et ideo necesse non est ut aliquid imprimat tali causæ naturaliter agenti, quo infallibilis (ut ita dicam) suum effectum efficiat: nam, remotis impedimentis, et applicata materia, et oblato Dei concursu, omnino infallibiliter sequitur effectus. Quod si Deus, prævidens futura esse impedimenta, non vult providere modum quo auferantur, tunc vel nullam habebit voluntatem concurrendi cum causa impedita, vel certe non absolutam et efficacem, sed quasi conditionatam, seu secundum quid, offerendi nimirum tali causæ concursum quantum in se est, sinendo nihilominus ut ab aliis impediri possit, ut latius in causis liberis explicabimus.

25. *Sexta ratio, naturalia agentia perfici intrinsece agendo, confutatur.* — Ad sextam rationem, negamus quod naturalia agentia agendo perficiantur intrinsece, id est, nova perfectione sibi inhaerente, quia neque actio ipsa est perfectio agentis, ut in eadem ratione recte dicitur, neque reductio illa de potentia in actum, quæ in tali agente, quando operari incipit, consideratur, est reductio potentiæ objectivæ vel receptivæ in actum, sed est reductio potentiæ activæ, quæ, per se loquendo, non perficitur agendo, sed perficit aliud. Dico autem *per se loquendo*, quia si sit virtus incompleta, perficienda erit prius per complementum virtutis: tunc autem non perficitur agendo, sed recipiendo, et sic completur ut agat. Nec Aristoteles, 8 Physicor., contrarium docuit, sed solum dixit corpora moventia movere mota ab alio, quia vel applicatione vel complemento virtutis indigent, sicut sol ad illuminandum totum orbem movetur, quia per motum ad omnia loca applicatur; postea vero illuminando non perficitur, neque per motum illum aliam perfectionem antecedentem recipit, neque etiam alii Philosophi illud dogma tradiderunt; imo D. Thomas, 3 contra gent.,

cap. 21, docet res naturales agendo comparare tantum quamdam extrinsecam perfectionem, quatenus, suum esse communicando, et quasi aliis beneficiando, Deo ejusque bonitati quodammodo similiores efficiuntur. Quod etiam confirmat D. Thomas auctoritate Dionysii, cap. 3, de cœlesti Hierarchia, dicentis divinisimum esse Dei cooperatorem fieri, quod proprie intelligitur de morali cooperatione in spiritali salute, vel propria, vel proximorum procuranda, de qua etiam locutus est Paulus 1 ad Corinth. 3, dicens: *Dei adiutores sumus*; per quamdam vero proportionem seu analogiam, omnibus causis agentibus, quatenus aliis bonitatibus communicant, accommodatur, ut etiam ex parte assecutus est Comment., 12 Metaphys., text. 36. Sicut autem in Deo ipsa actualis operatio ad extra non addit illi perfectionem intrinsecam, sed ostendit illam, ita similitudo ad Deum in hujusmodi operatione, quæ nihil in agente ponit, non est intrinseca ejus perfectio, sed vocatur extrinseca, quia similitudinem quamdam in bonitate a Deo participata manifestat.

26. *Septima ratio ex actionibus petita confutatur.* — Septima ratio specialiter fiebat de actionibus vitalibus, et ex eo quod essentialiter, vel intrinsece, vel saltem ex natura rei pendet a principio vitali, inferebatur non posse Deum in illas influere, nisi prius natura influat in ipsam potentiam vitalem, quæ illatio neque ab arguente probatur, neque ego video quo fundamento nitatur, aut quo modo possit ad syllogisticam formam reduci; et ideo, quidquid sit de antecedenti, in quo auctor ille sumit, etiam de potentia absoluta non posse actum vitalem fieri sine influxu potentiæ vitalis, quod quidem intellectum de actu vitali sub illa reduplicatione, seu quantum ad actionem vitalem ut sic, admitti non potest; de ipso autem actu vitali secundum se spectato, vel non est verum, vel saltem est incertum; illo tamen permissio, in quocumque sensu negatur consequentia, cujus defectus multis modis ostendi potest, nam species impressa influat effective in actum vitalem videndi, licet in potentiam nihil prævium influat. Dicitur, etiam esse aliquid prævium in potentia. Sed contra: nam essentia divina per seipsum influat effective in visionem beatificam, et tamen nihil influat prævium ad illam efficientiam, nam lumen gloriæ neque est ab essentia, ut est objectum, sed ut alias efficit per voluntatem et potentiam suam, neque est prævium ad actionem essentiæ, ut objectum

est, sed potius cum intellectu est veluti potentia cui essentia per modum objecti cooperatur. Denique posito etiam illo prævio concursu in potentia vitali, Deus immediate influat alio concursu simultaneo in actum vitalem; ergo idem poterit facere concurrente cum sola potentia sufficienter constituta in suo ordine in actu primo ad operandum; est enim eadem ratio, quia licet daretur concursus prævius, actus non haberet ab illo formalem rationem, seu denominationem actus vitalis, sed a sua potentia. Nec est ergo de ratione actus vitalis, quod nulla causa efficiens extrinseca influat in illum, sed solum quod proxime fiat a principio intrinseco vitæ, quod indigere potest virtute superioris causæ, et ideo consequentia nullius est momenti, quæ responsio in simili invenitur apud D. Thomam 1. 2., quæst. 80, art. 2, ad 1.

CAPUT XLI.

EX VI GENERALIS CONCURSUS NON ESSE NECESSARIAM PRÆVIAM MOTIONEM IN VOLUNTATE, MORALITER DETERMINANTEM ILLAM, UT LIBEROS ACTUS ELICIAT.

1. *Questio de causis liberis, et de earum prævia prædeterminatione morali.* — In causis liberis assignatur ab illis auctoribus peculiaris necessitas præviæ motionis Dei, quæ in causis naturalibus agentibus non invenitur, quæ nascitur ex indeterminatione et indifferencia quoad speciem et quoad exercitium ejus, quam agentia naturalia non habent, positis omnibus prærequisitis ad agendum: voluntas autem libera habet illam, et ideo indiget determinari a superiori causa, ut actum in specie definitum, et in tempore determinato efficere et inchoare valeat. Quia vero aliqui ex dictis auctoribus loquuntur tam de prædeterminatione morali, quam de physica, in hoc capite dicemus de morali, postea de physica. Ledesma ergo, in prædicta quæstione, art. 2, concl. 1, docet voluntatem hominis non posse ad actum liberum determinari, nisi moraliter a prima causa per concursum prævium determinetur, quod ibi tantum probat de actibus bonis, sed multa adducit pertinentia ad gratiæ auxilia, quæ in libr. 5 remitto.

2. *Status quæstionis.* — In hoc autem puncto duo dubia sunt distinguenda; unum est, an hæc determinatio moralis sit possibilis salva libertate, et ab hoc puncto nunc abstinemus usque ad librum 5, quia hic solum agimus de motione quæ ex vi generalis concursus datur;